



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Difficultas III. De Objecto justitiæ legalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

nem non intelligit rigorosam, sed motivi specialitatem, & æqualitatem inibi reperibilem, in quantum æqualitas non importat prædicatum alteritatis, numeratque justitiam legalem inter partes subjectivas justitiæ non strictè sumptæ, sed communiter acceptæ; in quantum illa importat æqualitatem, obligativam, cui commensuratio & par, reddi possit: cum tamen in aliis partibus potentialibus, aut par reddi non possit, ut Parentibus, aut non adest obligatio, ut in gratitudine, veridicitate, &c. Genus autem, quod dividunt justitia legalis & particularis, genus inquam illud, non est justitia rigorosa, sed communis ad rigorosam & non rigorosam.

DIFFICULTAS III.

De Objecto Justitiæ Legalis.

HÆC Quæstionem pensulatus examinat
Lugo cit. a. n. 63. ipseque tandem

EXPLICAT hoc jus. Sicut filius præstat erga Patrem officia, quæ præstare potest erga alios, sed ex affectu diverso, nempe propter peculiarem conjunctionem, quam habet cum patre; ita potest eadem officia præstare erga Rempublicam vel communitatem, cujus est pars, propter illam peculiarem conjunctionem, quæ habet cum ipsa, tanquam membrum cum corpore, &c. *Hæc Explicatio*

NON SATIS FACIT. Tum quia. Concedo esse peculiarem conjunctionem civis cum communitate, sed quærere restat, quomodo sit illa justitialis, fundativaque debiti? Tum quia; plures sunt modi conjunctionis cum communitate, & ita servi, communitates, amici habent hanc conjunctionem cum communitate, daturque ratio communis conjunctionis, quæ ratio non est justitialis; quærere ergo restabit, per quid illa conjunctio sit jus, fundans debitum in civem? Tum quia. Concedo secundum allata à Lugone, justitiam legalem distingui à pietate: hæc enim bonum commune propriè non respicit, differt item ab obedientia, gratitudine &c. sed quærere restat, si est distincta virtus, quomodo in specie justitiæ constituatur? ut explicetur jus illud.

PRÆMITTO I. *Quod nemo sit necessario antecedenter justus.*

RATIO. Quia justitia competere potest, non nisi natura intellectuali: habet enim bonitatem, quæ non est sensibilis, adeoque debita non nisi naturæ intellectuali, natura autem intellectualis, non est necessario antecedenter justa: quia hæc natura est Deus, cui non competit unquam obligari ex justitia, ut dictum supra; sunt Angeli & homines, qui etiam non sunt antecedenter necessario justis; quia alias nullum daretur injustitiæ peccatum: quia antecedenter necessariis, nunquam oppositum fieri potest: hoc enim antecedenter necessarium, est neces-

sarium in causa: quæ si est solum principiativa justis, non potest esse principiativa injustis, alias illa injustitia, esset sine causa. Rursus, actus justitiæ est actus laudabilis. Ergo liber, ut supponitur communiter. Ergo, non necessarius in causa. Denique quia actus justitiæ est actus voluntatis, si est actus voluntatis, est actus potentie liberæ, & quidem liberè operantis, liberæ quidem: quia supponitur, ex experientia, nos esse liberos; est item actus potentie liberè operantis, quia creata voluntas non nisi circa bonum infinitum, necessario agit, justitia autem non est tale bonum. Si autem actus justitiæ, est actus potentie liberæ, & quidem liberè operantis, non erit actus justitiæ antecedenter necessarius, quod intendit Præmissum. Si etiam daretur creatura aliqua, essentialiter determinata, non nisi ad honestè agendum, illa antecedenter in omni communionem vitæ, esset non nisi justa.

PRÆMITTO 2. *Sicut nemo est antecedenter justus & necessario, ita nec quisquæ est necessario civis.*

RATIO. Quia vel primum evadit civis, vel ab origine: si primum, intercedit tunc actus voluntatis, liberè se determinantis ad hoc, ut evadat pars communitatis: si secundum, etiam hoc fit liberè in capite, quæ libertas capitis moraliter perdurat in progenie, quousque non repugnat illi exercitio libertatis, quod posuit caput, de ingrediendo hanc communitatem.

PRÆMITTO 3. *Quotiescumque, intervenit bonorum ad invicem participatio, unoquoque, veniente cum suo superabundanti ad indigentiam alius explendam, toties intervenit justitia.* Hocque probant commercia, commutationes, universaliterque do ut des, facio ut facias; quo posito, illi evadet, hoc suum: quia etiam hoc evadit tuum in communionem vitæ: si autem hoc illi evadit suum, quia illud evadit tuum, hoc ipso illa res jam evadet obligata ex justitia.

PRÆMITTO 4. *Ex civili vita & ex communitate redundare bona in civium utilitatem, & bonum.*

RATIO Præmissi est; mundi consensus; intuitu enim horum bonorum, vel ipsæ urbes & villæ ædificatæ, ipsumque est animalium & hominum, debetur communitati vitæ conjugalis. Hic ipse mundi consensus resolvitur ulterius in instinctum naturæ, dantis potentias communis vitæ inchoativas. Talis est totus sensuum apparatus, præcipuè lingua, communionis vitæ, primum instrumentum.

PROBAT hoc denique Paritas ducta ab inanimatis, quorum conjunctio, redundat in bonum & utilitatem eorundem. Sic bonum est ignis urere, & comburere omnia, bonum hoc augeatur ex conjunctione plurium partium ignis, bonum est specierum movere sensum, hoc bonum augeatur ex conjunctione specierum, & sic una arbuscula, quæ non videretur alias, in sylva tumulo, movet sensum. Ergo, etiam & commu-

nio

nio vitæ inter creaturas rationales adferet bonum. Quod ipsum etiam in Metaphysico principio fundatur: quia in communionem vitæ, ad constituendam Rempublicam, dat unaquæque creatura intellectualis esse suum Physicum, una cum suo esse morali; plura autem bona physica & bona moralia, sunt meliùs, quàm unum ex illis. Quæ autem in particulari sint ista bona, reflexio ostendit.

PRÆMITTO 5. Si *communitas adfert bona civibus, ipsa communitas habebit jus ratione illius superabundantis obligatum civium, ratione illorum bonorum, que participant, respondebitque debitum in ipsis civibus, bonum illud commune curandi.* Quod si ulterius datur jus & debitum, debet dari æqualitas correspondentie ad illud jus; si autem dabitur æqualitas correspondentie ad illud jus, dabitur & justitia: hæc enim æqualitate formalisatur. *His præmissis*

EXPLICATUR. Quodnam sit objectum justitiæ legalis.

Nemo est necessariò antecedenter justus, ut dictum Præm. 1. nec necessariò civis, ut dictum Præm. 2. libereque ingredimur communitatem aliquam, qui ipse ingressus communitatis, ut trahat secum debitum justitiale, debet supponere bonorum ad invicem, superabundantiumque communicationem, ut dixi Præm. 3. Et quia civilis vita & communitas adfert suum superabundans in bonum civium & privatorum, ut dixi Præm. 4. resultabit etiam in civibus debitum satisfaciendi communitati illi, qua satisfactione ad æqualitatem posita, formalisabitur ratio justitiæ legalis.

Breviter ergo. Justitia legalis habet pro objecto immediato æqualitatem satisfaciendi ad jus boni communitatis; remotum autem objectum erit indigentia communitatis, ut ratione bonorum à se collatorum, satisfiat bono suo communi.

QUÆSTIO II.

De justitia distributiva.

Aliqua hanc Quæstionem concernentia, perstrinximus, ubi egimus de formali justitiæ, reliqua hic pensanda.

DIFFICULTAS I.

Præmittuntur Quædam.

PRÆMITTO 1. Dari de facto justitiam distributivam, eique oppositum membrum justitiam commutativam.

RATIO S. Thomæ posita hic q. 61. a. 1. referente se ad q. 58. a. 8. tali discursu proponitur. Nullibi est justitia, ubi non est virtus ad alterum, secundum communionem vitæ, quæ alteritas in communionem vitæ, duos habet terminos, partem seu privatum, & communitatem, quorum duorum terminorum tres sunt conjuga-

gationes. Prima, partis ad partem, & inde confurgit justitia particularium inter se æquativa, vocaturque justitia commutativa, & hunc ordinem dirigit, inquit S. Thomas. *Commutativa justitia, quæ consistit in his, quæ mutuo sunt inter duas personas ad invicem.* Alia est conjugatio totius ad partes: sicut enim partes respiciunt totum, quod restituunt; ita & totum, respicit partes, tanquam ad se ordinabiles; huic habitudini totius ad partes, debuit etiam aliqua virtus assignari, eaque ex æquativa suo modo totius cum partibus & privatis: & hæc est justitia distributiva. Verba sunt S. Thom. *Aliquando attenditur totius ad partes, & huic ordini assimilatur ordo ejus, quod est commune ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit justitia distributiva, quæ est distributiva communium secundum proportionalitatem.* Denique est habitudo partis ad communitatem, intentiva scil. boni communis, quæ talis, & hæc spectat ad justitiam legalem, de qua supra.

PRÆMITTO 2. *Justitiam commutativam & distributivam, esse duas justitias realiter distinctas.* Tum quia; potest aliquis recte se habere, quæ privatus ad privatum, & non recte se habere, quæ Princeps ad subditum, hocque expressit Aristoteles 5. Eth. c. 1. *Multi enim sunt, qui in privatis rebus, virtute uti possunt in ceteris, quæ ad alium spectant non possunt.* Unde recte illud Bianis dictum videtur: *Principatus virum ostendit.* Tum quia. Actus distributivæ ab actibus commutativæ distinguuntur realiter: quis enim dicat vendentem calceos distribuere. Ergo, & habitus ex illis actibus nati, distinguuntur realiter. Tum quia. Quando negatio unius non est negatio alterius, apparet illa esse distincta realiter: nam est impossibile idem non esse & esse; sicut trita collocatione; impossibile est idem esse & non esse; hæc enim duo collocatione differunt. Si autem non essent distincta realiter, ea, quorum uno negato non negatur aliud, tunc idem non esset, & esset quidem idem: quia nihil de seipso negatur, esset autem idem, ut supponis. Sed negata in aliquo justitiâ distributiva, non negatur commutativa, & è converso; quia potest aliquis commutare non distribuere, consequenter commutare justè, non distribuere justè. Ergo; apparet, quod negatio unius, non sit hic negatio alterius, adeoque inter hæc intercedet distinctio realis.

PRÆMITTO 3. *Justitiam distributivam non esse propriè & rigorosè justitiam.* Est assertum Suar. Rebelli. Lugo d. 1. n. 15. Ratio. Tum quia. Justitia legalis non est justitia propriè dicta. Ergo, nec distributiva. Tum quia; colligitur ex dicendis, in formali distributivæ, non reperiri rigorem justitiale. Tum quia. In aliis rigorosis justitiis, commissa injustitia, urget ad restitutionem, hæc autem non habetur in distributiva. Et si esset distributiva rigorosa justitia,

R. P.
H. M. LOD
J. D. W. S. K.
Tom 3. ei 4.
D. VI
6